



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Jacobi Lobbetii Leodiensis E Societate Iesv, De Fortitvdine Et Constantia Christiana Libri Tres

Lobbet de Lanthin, Jacques

Leodii, 1640

§. 2. Virtutes annexæ militari fortitudini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49140](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49140)

378 DE FORTITVDINE  
à militari fortitudine ex dicendis  
patebit.

---

§. 2.

*Virtutes annexæ militari  
fortitudini.*

**F**ortitudo militaris in eo potissimum eminent, quod hominem efferat ad ardua quæuis pro honestate, pro focis, & aris suscipienda, ad pericula adeunda, & pulchram per vulnera mortem; de quâ piè, & magnificè D. Bernardus sermone ad milites templi.

Cap. I. *Quam gloriosi, inquit, reuertuntur victores de prælio? quam beati moriuntur martyres in prælio; quasi diceret vir sanctus, parum, aut nihil interessè, stentne, an cadant, viuant, an intereant: vincant, an vincantur, si enim vincunt, triūphatoris*

phatoris laureâ donantur, si vincuntur martyris aureolâ : hanc certè Machabæis, ex tacito quodam Ecclesiæ sensu tribuit Rupertus.

*Eorum, inquit, bellicam defensionem, non minus quàm indefessam martyrum patientiam in sanctâ Ecclesiâ legendo, & cantando celebramus.* Quod Machabæis concessit Rupertus, hoc propè christianis militibus, qui aduersus infideles fortiter decertant, attribuit D. Bernardus, cuius melleâ capior eloquentiâ & capieris ipse nō dubito, mi Lector. Illam ergo auidâ aure, menteque excipe : ita sese in militum laudes, & præclara encomia diffundit.

*Secum præliantur, nequaquam metuentes aut de hostium cæde peccatum, aut de suâ nece periculum.*

Miles

Præf. ad  
lib. de  
victoriâ  
verbi  
Dei.

*Miles Christi securus interimit, securior interit: sibi prestat, cum interit, Christo, cum interimit. Cum occidit malefactorem, non homicida, sed ut ita dixerim malicida reputatur. Cum occiditur ipse, non perijisse, sed peruenisse cognoscitur. Mors ergo quam irrogat, Christi est lucrum, quam excipit, suum. Mors, inquam lucrū, si modo vita etiam cum lucro fuit, & virtutum, ac meritum incrementum, de quo cum incidit quæstio, in mentem, atque oculos venit ille scripturæ locus.*

1. Reg. c.  
15. v. 4.

*Præcepit Saül populo, & recensuit eos quasi agnos ducenta millia pedum, & decem millia virorum Iuda.*

Huius loci intelligentia, si nuda spectes verba, in aperto est; si variam Interpretum mentem, in occulto: sunt enim ex Hebræis, qui  
velint

velint Saulem recensuisse eos in agnis, quos singuli conferebant, eo fere modo, quo alias ille ipse Saül militem suum collegit, atque numeravit *in Bezech*, hoc est *in testulis*, quas singuli in vnum aceruum congerebāt, vt earum numero, ipse quoque militū numerus legeretur.

Quod si forte quis studiosus indagator antiquitatis eum sibi nodum solui velit, cur eo loci, ac temporis in agnis militē censi oportuit? audiet quia in seipsis sine flagitio recenseri non poterant: deinde in computatione populi in singula capita statuebatur pretium, & is agnus esse poterat. Denique tum forte imminebat solemne Pascha, quo ex Diuinae legis praescripto agnus erat immolandus.

Atque hæ rationes petitæ sunt

cx

382 DE FORTITVDINE  
ex ipsâ antiquitate, legisq; normâ,  
ac placitis, non tamen vt quidem  
existimo, ex genuinâ illius loci in-  
terpretatione; è quâ nonnulla de-  
ducam ad militum mores probè  
efformandos.

Recensuit olim Saül milites qua-  
si agnos, tum quia rex erat, & mili-  
tiæ dux, adeoq; ex scripturæ sensu,  
atq; vsitatâ appellatione etiam pa-  
stor; tum quia quisquis est miles, is  
agni genium debet æmulari.

Obe-  
dientia.

Est agnus imprimis obediens ad  
vocem, nutumq; pastoris seu in  
campum euocet, & læta pascua; seu  
reducatur ad caulas; seu plana, abie-  
ctaq; vallium, seu ardua montium  
pedo monstret, aut proiecta gleba.  
Et ea quoque debet esse militis in-  
ducem obseruantia; de qua præcla-  
rè Thucydides.

Hoc

Hoc ad rem in bello præclarè gerendam præcipuè pertinere iudicate, ut & pugnandi voluntas adsit, & modesta quædam erga duces obedientia. Cuius specimen, ac documentum insigne habes in eo de quo Plutarchus. Is cum in acie stric- In La-  
 ctum iam ensẽ in hostem esset cor.  
 infixurus, dato derepente signo receptui, substitit, manumque sustinuit, nec telum aduerso pectori infixendum duxit. Roganti vero cuidam, cur hostem, cui ferro iam imminebat, non sustulisset è medio, scitè respondit: Quoniam melius est parere imperatori, quam hostẽ occidere.

Exemplum illustre militaris discipline, à quâ immane recesserunt plerique huius ævi milites, quibus nequicquam obsistentibus ducum manda-

manda-

mandatis prope quidlibet audendi  
 summa est licentia. Ea nō erat, cum  
 in oculis, in manibus essent Roma-  
 nę leges, & iura belli, ex quibus ho-  
 stem ferire nefas nisi signum de-  
 disset tuba, interimere crimen si re-  
 ceptui cecinisset.

Ex hac porro deuoti pectoris  
 submissione natum illud axioma.  
*Non licet in bello bis peccare, error*  
*enim in bello, & inobedientia mors*  
*est: atque utinam esset, non ea foret*  
 in acie morum corruptela, non ra-  
 pinæ, non latrocinia, quibus ple-  
 rumque viam aperit ipsa impera-  
 torū remissio, qui & alijs iniuriam  
 inferunt, & sibi, suoq; nomini no-  
 tam inurunt: longè absimiles illi  
 Galbę, adeo apud veteres nomina-  
 to. Ille bellis in grauissimis adeo  
 seuerâ disciplinâ milites continuit,

vt



vt simul atque in castra venisset, illico vulgaretur ille trochaicus. *Disce miles militare, Galba est, nō Getulicus.* Nimirum & animos ille suorum in obedientia retinebat, & manus continentiae, ac iustitiae vinculis illigabat, ne in aliena bona, in rapinas ferrentur praecipites, vicinosque agros suis latrocinij infestarent; quod alterum est boni ducis officium; cui vt militia, ita & iustitia est in amoribus; & merito.

Iustitia,

Quaesiuit olim D. Augustinus, <sup>De ciuit. l. 4.</sup> quid essent regna remota iustitia, atque addidit, nihil esse nisi magna latrocinia; quod si regna quae loca tenent, sedes constituunt, ciuitates occupant, & suos municipes etiam muris, ac vallis claudunt, posita tamen, ac profligata iustitia latrocinia sunt, quanto magis militia, quae

Bb

nec

nec suos vallo continet, nec muro:  
 sed vagos, ac palantes totis campis  
 effundit: sed est illud ingens ma-  
 lum, quod in ciuitatibus latrocinia  
 in occulto sunt, in militiâ vero in  
 aperto, quod (vt inquit Augusti-  
 nus) confert addita etiam impuni-  
 tas, ob quam Alexandro non mi-  
 nus eleganter, quàm verè respondit  
 olim Pyrata ab eodẽ comprehen-  
 sus. Ei quippe sciscitanti quid sibi  
 vt mare haberet infestum? libera, &  
 expeditâ voce subiunxit. Quid  
 tibi vt orbem terrarum? sed ego  
 quia exiguo nauigio facio, latro  
 vocor: quia tu magnâ classe, Impe-  
 rator.

Appositè fanè ad coercendam  
 Alexandri auaritiam, & insanam  
 dominationis libidinem, sub qua  
 vel ipse gemebat orbis, nec par esse  
 vide-

videbatur : & tamen vt ea esset , regnabat impunè , quia armis tuta , & ingenti imperio subnixa ; ne illa quoque in huius eui militiâ regnet ; quisquis bello præsidet , sit ille equi , iusti que tenacissimus : ne miles qui sub eius stipendijs meret , aut cornu feriat , aut dente mordeat , aut vngue rapiat , inuolet que in alienas facultates ; quod certè non faciet , si vt olim à Saüle quasi agnus , hoc est miles recensatur .

Sit deinde pacis amans , ac concordia , hæc enim commilitones <sup>Cōcor-</sup> inter se necitit tanquam membra <sup>dia.</sup> vnus magni corporis .

Existimabat Amatus vrbes ( & eadem de militiâ est ratio ) singulatim imbecilles mutuo seruari , tanquam illigatas publico commodo , ac quemadmodum membra

Bb 2      corpo-

corporis viuentia, & conspirantia, propterea quod inuicē innata sibi hærent, si quod eorum auellatur, & à cœteris separetur, non alitur amplius, sed tabescit: ita vrbes censebat ab ijs qui Rempublicam diuellerent, perdi: augeri autem vnam ab aliâ, & omnes mutuo, cum veluti magni alicuius corporis partes communem haberent procurationem.

Plutar.  
in Arat.

Quod de vrbe, hoc de militari Republicâ verius dixero, cui si pacem dederis, & concordēs animos, cohærebit illa; sin autem discordes feceris, illico dissipabitur.

Regnum, inquiebat Micipsa ad filios, vobis trado firmum si boni, hoc est consentientes eritis; sin mali, hoc est ab inuicem dissentientes imbecillum: nam concor-

Sallust.  
de bello  
Iugurt.

diâ

diâ parua res crescunt: discordiâ  
maximæ dilabuntur.

Testis erit Numantia prius inui-  
cta, post euerfa, cui, vt ait Tiresius,  
concordia victoriam, discordia exi-  
tium præbuit.

Brutus  
l. c. 4.

Tyrhenus lapis quamuis gran-  
dis innatat, comminutus fudit: ita  
concordiâ sustinemur, discordiâ  
pessum imus, inquebat Plinius, &  
Aristoteles purioris Philosophiæ  
perspicax ocellus.

Plin. l.  
2. c. 106.

Arist. de  
natura  
c. 12.

Hanc porro concordiam docuit  
ipsa Saülis militia, in qua quot ca-  
pita, tot agni, quia vt hi gregatim  
pascuntur, & quo præit vnus, eo se-  
quuntur alij: ita Saülis milites cõ-  
cordibus animis ibant, quo duce-  
bantur.

Sed & alia fortitudini militari  
cognata virtus; ea porro est auda-

Bb 3

cia,

Auda-  
cia

cia, media temeritatem inter, & ignauiam: nec enim ea censenda virtus est, quæ sine ratione, sine modo in hostem incurrit, periculum potius creatura, quam prælium motura, neque etiam ea laudi danda est; quæ adeo timori conuiuet, accedit, vt vel ipsum periculi nomen fugiat, atque auerfetur: viro militari audendum aliquid in hostes, in acies, in ferrum, in mortem ipsam eundum est, cum ratio suadet, publicumque bonum: recedendum tamen etiam quandoque, & obuiio hosti cedendum, cum aduersum ferre caput Reipublicæ potius noxium videris, quàm profuturum.

Stob.  
serm. 52.

Ita quondam Antigonus hostibus ingruentibus cessit, ac ne ignauiæ, aut timoris argui posset, adiecit illud; se non fugere, sed utilitatem

tatem retro sitam persequi; & verum  
 tum stetit immotum, fuisset te-  
 meritatis: cui ex opposito habes vi-  
 tium aliud alterum, quod ignaviam  
 dicimus; à quâ ut auocarentur tem-  
 plarij milites, docerenturq; in bel-  
 lis cōtra Saracenos, aut vincendum  
 esse, aut moriendum: si fortè cape-  
 rentur, solo cingulo, & cultello re-  
 dimebantur: exiguum sane hosti  
 lucellum, ne scilicet eo malè capti-  
 vitam donarent ignavis, & quasi  
 ultro se dedentibus.

Sigerti  
 conti-  
 nuator.

Ab illâ porro ignaviâ militem  
 procul esse vult illud militare ro-  
 bur, quod à virtute, à fortitudine  
 petitur, cuius exempla habet anti-  
 quitas, habent & nostra secula, quæ  
 fortè primis illis nō cedunt, è mul-  
 tis duo producam, ne stylum lon-  
 gius ducam in argumento satis ob-  
 uio;

uio; vnum terra sensit, alterum stupuit oceanus, ipsumque aquarum elementum.

I. 2. C. II. Aulus Gellius in noctibus atticis refert Lucium Sicinium dentatum (qui Tribunus pleb. fuit Sp. Tarquinio, & A. Thenio Cōsulibus (prout scriptum est in libris Annalium) plusquam credi debeat strenuum bellatorem fuisse, nomenque ei factum ob ingentem fortitudinem, appellatumque *Achillem Romanum*. Is pugnasse in hostem dicitur centum & viginti praelijs, cicatricem auersam nullam, aduersas quinque & quadraginta tulisse. Coronis esse donatum aureis octo: obsidionali vna: muralibus tribus: ciuicis quatuordecim: torquibus tribus, & octoginta: armillis plus centum sexaginta: hastis duodeuiginti: phaleris



leris quoque donatus est quinquies  
viciesque. Populi militaria dona  
habuit multiiuga, in his prouoca-  
toria pleraque. Triumphauit cum  
Imperatoribus suis triumphos no-  
uem; è quibus quantum præstite-  
rit militari virtute in aperto est; &  
hunc in continenti bellatorem a-  
mauit, suspexitque; Roma, gentium  
domina, & Martis amantior. Alte-  
rum accipe quem stupida licet sen-  
sere tamen maria, & studiosæ mi-  
ratae sunt Athenæ. Is fuit Cynegy-  
rus Atheniensis, qui cum palantes  
Medos, Persasque ad naues compu-  
lisset, nauem hostibus onustam de-  
xtrâ tenuit, deinde hac hostium  
ferro amputatâ, læuam nauigio in-  
iecit, idque remoratus est; eâ rursus  
amputatâ, arreptâ mordicus nauim  
defixit, tenuitque, raro sane fortitu-  
dinis

394 DE FORTIT. CHRIST.  
dinis exemplo : quod mirari om-  
nes, imitari pauci, & forte ne vnus  
omnium possit.

Quod si ea Heroibus illis insita  
vis animi, vel ipsâ tantum naturâ  
duce, quæ debet esse christiano  
militi, cui ad naturam ipsa quoque  
gratia accesserit, ab illa que senserit  
se cælo pugnare, non terris, nō glo-  
riæ, trophæisq; breui perituris mi-  
litare, sed Deo, beatęque æternitati.

FINIS.

IN-

